

Portiones, nicht über Vermögen beschwehret / und derselben Besizere dadurch ruiniret werden / nicht weniger gebennet und vernichtet wird: So wird auch zu Verhütung dieses Unwesens gedachte Braut & Schazes & Constitution weiter dahin erkläret und elucidiret: Dasi / wann die Braut & Schätze und Erb & Portiones auch gleich durch Testamentarische Disposition aufgelobet und verschrieben würden / dieselbe dennoch nicht weniger als die Ehe & Stiftungen unter mehrgedachter Braut & Schazes & Constitution gehören / und unter vorherberegter Commination, nach Anleitung derselben / mit Zuziehung der Beamten eingerichtet / und von denenselben mit unterschrieben werden sollen; Wornach sich also dieselbe zu achten. Geben Oldenburg in Cancellaria den 19. Aprilis Anno 1706.

Friedrich. R.

(L. S.)

COROLLARIUM II.

*De vi & potestate Votorum plurium Collegii
in causis dijudicandis.*

Inscriptio declarat satis, quod non agendum sit hoc loco, quod actum est dudum ab aliis, de Jure majoris partis in negotiis & consultationibus ad Statum Reipublicæ in universum spectantibus, (1) neque de materia Electionum, (2) neque etiam de rebus universitatum, aut societatum privatis, (3) sed de dijudicandis controversiis forensibus, speciatim in Supremo Dicasterio Imperiali Camera.

(1) Pertinet huc dictum Aristotelis: *Quod probatum fuit pluribus, reperitur in omnibus, lib. 4. Politic. cap. 8. & Ulpiani l. 160.*

§. 1. de Regul. Jur. Refertur ad universos quod publice fit per majorem partem, adde l. 19. ff. Ad Municipal. Hug. Grot. lib. 2. de Jure Bell. & Pac. cap. 5. Pufendorf. de Jur. Natur. & Gent. lib. 7. cap. 2. §. 15. seqq. De casibus à Jure majoris partis in Comitibus Imperii exceptis, *Dissertatio Schwederi JCTi Tubingensis Anno 1718.* Et scriptum Ratisbonense, Titulo :

Sacra Libertatis Anchora, hoc est : *Analysis §. In causis Religionis §2. Articuli quinti Instrumenti Pacis Westphalicæ, ubi agitur de pluralitate Votorum, in quibus causis non sit attendenda : Speciatim de Jure eundi in partes, nec non de Juribus singularum. Quarundam Legationum Evangelicarum præscitu impressum Ratisbonæ Anno 1720.*

- (2) De qua materia agitur in *Jure Canonico lib. 1. Decretal. tit. 6.* ubi vide Gonzalez Tellez in *Commentar. ad Cap. 57. Wiestnerum artic. 11. num. 177.* Böhmer. in *Jure Ecclesiastico dict. tit. §. 56. iidem ad tit. Decretal. III. De his quæ sunt à majori parte Capituli.*
- (3) Tractavit hoc thema præcipue Staudacheri *Dissertatio Inauguralis Anno 1700. Argentorati edita.* & alia Wincopii JCTi Erfurtensis de *Jure majoris partis Anno 1709.*

In Collegio quocunque, ubi Jus suffragii Legibus est constitutum, cuique, in hunc ordinem recepto, tantum inesse doctrinæ & prudentiæ præsumitur, ut sufficiat negotiis, quæ ibi disceptantur, perspiciendis. Neque hic locus est inquisitioni, quænam ex discordantibus sententiis sit melior atque justior, vel, ut loquuntur Juris Canonici interpretes, sanior. Nemo enim ea in re judicium sumere potest sibi. (4)

- (4) Pufendorf. *dict. lib. 7. cap. 2. §. 15.* Quod verò Seneca dixit, de *vita beata cap. 2. Non tam bene cum rebus humanis agi, ut plu-*

pluribus meliora placeant. ad eas spectant universitates, in quas admittuntur homines absque delectu, neque est æquale Jus omnium & singulorum, ubi per turbam magis quam consilio res geruntur.

Tametsi verò inter membra Collegii inæqualitas aliqua non sit infrequens, in eruditione, prudentia, exercitatione, alacritate, & qualitates hominis vicissitudines suas patiantur ab affectibus, ætate & valitudine. (5)

(5) Verissimum est etiam, quod homines, sicut animantia alia ejusdem generis, inter se differant specie, hoc est, aptitudine & indole naturali ad actus atque officia alia atque alia. Hinc non mirum, si homo quantacunque diligentia operam det alicui studio, aut arti, non tamen felicem habeat successum, certe inveniatur alios in eodem studio vel arte longe superiores. Taceo, multos esse, qui officia, ad quæ obeunda sese offerunt, faciant invita plane Minerva. Experimur hoc quotidie, ut nihil dicam de aliis, in famulitio utriusque sexus. Utinam verò, ad quas functiones sit aptus vel minus, disceret ex se unusquisque.

Non est tamen aliud ad expedienda negotia medium, neque à ratione alienum, quam ut in dijudicandis causis forensibus numerentur Sententiæ membrorum Collegii, in quo, nihil est (utor verbis Plinii *lib. 2. epist. 12.*) tam inæquale quam æqualitas ipsa. In quo, inquam, par est omnium Jus, licet impar sit perfectio doctrinæ & circumspectio. Neque videri debet mirum, quod etiam in dirimendis secundum Justitiæ leges & artem æqui bonique negotiis, existat sæ-

pius sententiarum diversitas, imò scissio in opiniones contrarias, cum primis ubi casus aliquis secundum terminos omnes Legibus non reperitur definitus, (est enim hoc admodum rarum) & ex variatione circumstantiarum nascuntur ut plurimum litigia, multasque formas edere natura deproperat, ita ut emergant quotidie negotia, quæ adhuc legum laqueis non sunt innodata, ut ait Justinianus *l. 2. Cod. de vet. Jur. enucl.* Accidere potest etiam in rebus quæ ab externis sensibus judicantur, ut inter plures non sit æquale iudicium. Faciem hominis pictam intuentur plures, alius expressam esse bene similitudinem iudicat, alius aliter, secundum dispositionem radiorum lucis, à qua parte adspicitur imago. Ita inter Iudices dispar potest existere iudicia secundum considerationes atque reflexiones, quæ occupant animum in circumstantiis.

Nullum ergò remedium aliud, quam ut fiat decisio secundum votorum numerum, nisi aliud sit constitutum Lege expressa, vel ubi talis est Reipublicæ forma, ut pro Lege sit arbitrium Summi Imperantis.

His præmissis, speciatim meditabimur quid sit constitutum Legibus publicis Patriæ.

Quod in Camera Imperiali secundum plura vota iudicium sit ferendum, receptum est & Lege & more consueto. Non tamen satis videtur prospectum esse in Legibus, si votorum inter se dissentientium extiterit numerus æqualis.

Antiquissima *Ordinatio* Maximiliani I. Imp. de Anno 1495. tit. 1. §. 1. voluit, ut in pari votorum numero Domini Judicis deberet esse arbitrium, cui ipse accedere voluerit. Verum hæc Constitutio in sequentibus Ordinationibus repetita non est, & nunquam, quod credo, ad usum deducta, neque per mutatas Reipublicæ Germanicæ atque rei judiciaræ in Camera rationes, ad usum deduci potuit. (6) Nam quod in *Legge Imperii Pragmatica Instrum. Pac. artic. 5. §. 56.* legitur, juxta Ordinationem Cameræ litem esse terminandam; (7) nullus reperitur in tota Ordinatione de Anno 1555. (quæ præcipue vocatur *Ordinatio Cameralis*) neque in sequentibus Legibus Visitationum locus, in quo iste casus sit definitus.

Dixi de numeri Votorum paritate vera. Datur verò juxta Leges nostras etiam paritas votorum ficta, si inter Senatores octo, tres in contrariam iverint sententiam. (8)

(6) More recepto in Consultationibus Forensibus nullum reddit votum neque Dominus Judex, neque qui Senatui præsidet, sed ex votis Assessorum fit conclusum. Hi in Legibus proprie dicuntur *Urtheiler* / h. e. Judices, vide *Præfat. nostram ad Catalogum Personarum Collegii Cameralis*, qui est adjunctus recentiori editioni *Commentationis Systematicæ*.

(7) Verba: *Si quæ verò dubia circa interpretationem Constitutionum ac Recessuum Imperii publicorum occurrant; Aut in dijudicandis Causis Ecclesiasticis vel Politicis, inter partes suprâ expressas vertentibus, ex paritate Assessorum utriusque Religionis, postquam in pleno etiam Senatu, pari tamen semper utrinque*
Judi-

Judicantium numero, examinata fuerint, contrariae orientur sententiae, Catholicis quidem in unam, Augustanae vero Confessionis Assessoribus in aliam abeuntibus: remittuntur ad Comitium Imperii universalia.

Si autem duo pluresve Catholici cum uno aut altero Augustanae Confessionis Assessore, & vicissim, unam, reliqui vero totidem numero, quamvis Religione dispare, alteram amplexi fuerint sententiam, indeque contrarietas oriatur, hoc casu juxta Ordinationem Camerae lis terminabitur, ulteriori remissione ad Comitium cessante.

Et haec omnia in causis Statuum, comprehensa in immediata Imperii Nobilitate, sive actores illi, sive rei, sive intervenientes fuerint, observentur.

Si vero inter mediatos vel actor, vel reus, vel tertius interveniens fuerit Augustanae Confessionis, & paritatem judicantium ex utriusque Religionis Assessoribus postulaverit, adhibeantur pares; eveniente autem tunc votorum paritate, cesset remissio ad Comitium, & lis juxta Ordinationem Camerae terminetur.

(8) Verba sunt haec: part. 1. tit. 13. §. 10.

Wo aber etwas beschwehliches oder zweifelhaftiges fürfallen würde / daß alsdann die andere zum Theil / oder gar nach Gelegenheit / Größe und Wichtigkeit der Sachen auch erfordert / und mit derselben Rath beschlossen werden soll. Und so sich begäbe / daß die Assessores in Votis spännig / und in zwey gleiche Theil zerfielen / oder aber daß unter achten / drey aus wichtigen anschnlichen und tapffern Ursachen einer andern und sonderm Meynung seyn würden / so soll alsdann die Sach oder Punkt, darin sie streitig / an den Cammer- Richter / und die andere Assessores gelangen / und zu derselben Ermessenheit stehen / zu solcher streitigen Sachen oder Punkten, nach Gelegenheit / Größe und Wichtigkeit derselben etliche aus den Beysitzern zu verordnen: oder aber dieselben / in dem andern Definitiv-Rath: oder so es für gut

gut angesehen / in vollem Rath fürzunehmen / die Relationes wiederum anzuhören / und sich einer Urtheil zu vergleichen. Und was also in einer jeden Sache erzehlet worden / massen gehandelt und erkannt / das soll beständig und kräftig seyn / und dafür gehalten: Auch sonst keine Sach / in der einmal vermög dieser Ordnung in einem Rath beschloffen / ohne treffliche und bewegliche Ursachen / in einen andern Rath gezogen werden.

Quæ fuerit causa Dn. Assessoribus, qui Anno 1613. novam Ordinationem composuere, vulgò das *Concept*, ut *part. 1. tit. 25. §. 4.* loco numeri Assessorum *octo*, posuerint *septenarium*? Quare etiam Senatus definitivarum jam dudum consistat tantum numero *Senario*? Ex diversitate legum, atque inconstanti totius Collegii numero fluxisse, non est dubium. Anno 1555. constitui debuerat Collegium XXIV. Assessoribus, inter quos duo Comites vel Barones Imperii, adeoque tres Senatus ex octo personis. Anno 1575. (cum ab An. 1562. titulus Praesidum coepisset, vid. *dict. Praefat. ad Catalog. Person. Cam.*) per *Memoriale Visitat. 20. Maji §. Und* diem 20. 3. constitutus est numerus Senatus ex *septem* Assessoribus. Anno 1577. per *Memorial. Visit. 18. Maji §. Damit* dann 20. 15. mansere tantum *sex*, in gemeinen Sachen. Anno 1595. 18. *Septemb. §. Demnach* dann 20. 12. in gravioribus quoque causis tantum *sex*. Anno 1600. *Memorial. Visit. 29. Augusti §. Es* wissen 20. 10. rursus placuit numerus *septenarius*. Tunc enim major, quam unquam, existebat numerus Assessorum, conf. *dict. Ca-*

atalogum. Hinc in Opere *Concepti tit. 1. princ.* numerus constitutus legitur *XLI.* adeòque *tit. 25. §. 4.* positus est numerus *septenarius.* Ob varias tamen difficultates retentus est numerus *senarius.* Quod si enim per quinque vota vinci non debuerunt tria contraria, multo minus in numero septenario effectus plurium tribui potuit votis quatuor. Utimur autem, ubi verba *Concepti* dissonant, pro Lege textu Ordinationis de Anno 1555. vel Recessuum Visitationum, quorum loca in recentioribus editionibus *Concepti* notata sunt in margine. Ad dictum textum Ordinationis remisit nos etiam in hoc casu *Lex Visitationis Novissima §. 36. in fin. versu: Fürnemlich aber dasjenige &c. &c.*

Intelligendum est hic, quod textus Ordinationis:

(1.) Non agat de casu qui est expressus pluribus verbis in dicto *§. Visitatio &c. §. 56. Instrum. Pac. artic. 5.*

(2.) Non sit etiam accipiendus de causis levioris momenti, sed de magis arduis. Variis enim ex causis accidere potest, ut Senatus causarum definitivarum, qui ordinariè ex *sex Senatoribus*, paritate Religionis observatâ, constituitur, augendus sit per aliquot alios, moneute hoc causæ Referente, vel etiam petente alterutra parte, vid. *Ordinat. Cam. part. 1. tit. 13. §. 10. versu: Wo aber etwas beschwehliches &c. Recess. Imper. 1570. §. Als dann auch*

auch r. 78. Memor. Visitat. 20. Maji 1575.
§.2. Anno 1577. 18. Maji §. Soltten aber r. 16.
Concept. dict. tit. 25. §. 2.3. Recess. Visit. An-
no 1713. §. 16. vers. Im übrigen auch r. & §. 68.
ubi agitur de petita Restitutione in integrum.

- (3) Non sit fingendum vel præsumendum, quod tria vota dissentientia à reliquis abeant simpliciter, *puto quia puto*, hoc enim non ferent neque Directorium neque Senatores reliqui, sed per rationum pondera, quæ paritatis veræ loco esse queant.

Hucusque de numero Votorum eorumque majori parte, agit Legislatio. Quæ an ad casus similes in proportione numeri sit extendenda, lege non invenitur decisum. Exempli gratia: Inter duodecim judicantes, (qui casus est valde extraordinarius, existere tamen potest per adjunctiones repetitas) si *quinque* dissenserint à reliquis *septem*, videtur esse, si non potior, saltem non minor ratio paritatis fictæ, in proportione numeri. Nam inter octo vota, si dissenserint tria, unum tantum deest ad paritatem veram. Inter duodecim vota, quinque dissentientibus, deest etiam unum. Attamen, in numero sex judicantium, quatuor consentientes absque dubio vincunt duos dissentientes. Existimavêre aliquando Domini, constitutionem prædictam in Ordinatione, tanquam singularem & extraordinariam, ad casus similes, trahendam non esse. Num verò expediret, ut hæc

res ad Legislatoriam decisionem deduceretur? relinquendum est mihi aliorum meliori iudicio. Existente autem casu, in quo per *d. §. 56. Inst. Pac.* remissio ad Comitiam cessare deberet, quid facto opus sit, Collegium decernet.

Videmus jam de votorum quæ sunt discrepantia, aliquo modo, conjunctione ad formandum conclusum per majora.

Si Sententiarum extiterit disparitas triplex, ita, ut quantitas minor comprehendatur in quantitatibus majoribus diversis, recte conjungentur sententiæ omnes ad summam quæ est inter eas minima, juxta Ulpianum in *l. 27. §. 3. ff. de recept. arbitr.* (9)

(9) Verba textus :

Si plures arbitri fuerint, & diversas sententias dixerint : licebit sententiæ eorum non stari, sed si major pars consentiat, ei stabitur ; alioquin pœna committetur. Inde quaeritur apud Julianum, si ex tribus arbitris unus quindecim, alius decem, tertius quinque condemnent : cui sententiæ stetur ? & Julianus scribit, quinque debere præstari : quia in hanc summam omnes consenserunt.

Aliud dicendum, si sententiarum tanta sit diversitas, ut conjungi non possint, tunc enim nihil erit actum. Exponitur talis casus à Cujacio *lib. 12. observat. 16.* & Hug. Grot. *lib. 2. cap. 5. §. 19.*

Quid, si in numero sex Judicantium, tres reum condemnaverint secundum petita actoris, duo absolverint, unus interloqui voluerit, habebuntne vim majorum tria vota ad sententiam condemnatoriam ?

Non

Non existimo. Nisi unus ille ita inclinaverit, ut juxta exemplum quod legitur in Polybio *Excerpt. Legat. 129. (10)* ad condemnantium partes discesserit magis, quam ad absolventium. Sin secus, errorem puto maximum, si per vota trium reus condemnaretur.

Qui enim negat se velle condemnare, &, ad majorem securitatem absolutoriae, vult interloqui, is certè cum tribus condemnantibus conjungi non potest, cum à duobus absolventibus differat tantum gradu, vid. Pufendorf. *Jur. Natur. Gent. cap. 7. §. 9.* In paritate verò numeri spectari debet id quod est minimum, l. 38. ff. de re judicat. l. 125. de Regul. Jur.

(10) Verba ex Polybio sunt sequentia interprete *Isaaco Casaubono* :

Quum sub hiemis exitum Senatus Pub. Lentulum qui recens ex Asia redierat, super iis quæ fecerat Prusias adjuvisset, Athenæum quoque Attali Regis fratrem in Curiam revocavit. Ibi non fuit multis verbis opus, sed statim cum prædicto legatos mittere decrevit C. Claudium Centonem, L. Hortensium & C. Aurunculejum, quibus mandata dedit, ut prohiberent Prusiam quo minus bellum cum Attalo gereret. Xenos quoque Aegiensis & Telectes Tegeata Romam ab Achæis missi fuerant, de iis qui captivi tenebantur. Ea legatione in Senatu audita, eaque re ad deliberandum proposita, parum absuit quin Patres reos absolverent. Quod quominus fieret, per Aulum Postumium Prætozem, qui Senatam tunc habebat, stetit. Nam quum tres dictæ sententiæ essent, una eorum qui dimittendos censebant; altera contrarium consentium; tertia eorum quibus placebat absolvi quidem illos, sed in præsentia retineri: plerisque de absoluteione consentientibus; Prætor una sententia prætermissa, duas roga-

tionem suam est complexus: QUI EVOCATOS SENTENTIAS DIMITTENDOS, in hanc partem; QUI ALIA OMNIA in illam partem ite. Tum verò qui retinendos in præsentia censuerant, iis se adjunxerunt, qui absolvendos negabant: & ita auctores contrariæ sententiæ numero vicerunt, eo tamen loco fuit istud negotium.

Salutari consilio in Systemate Judiciæ Cameralis constitutum est Legibus, & usu, quantus Senatorum numerus in quolibet Senatu esse deberet ad deliberandas causas pro sententiis definitivis, quantusve pro interlocutionibus. Nam ut negotiis judiciariis interessent omnes ex quibus Collegium constituitur, prohibuit causarum multitudo, cum primis verò in multorum votorum collectione difficultas, si informandi essent de meritis causarum singuli, (spernerentur enim meritò vota absque notitia sufficiente reddita) maximumque temporis dispendium.

Ordinatio de Anno 1555. ad definitivas requirit Senatores octo, ad interlocutorias pro gravitate causæ quatuor, quinque vel sex, *part. 1. tit. 13. §. 10. & part. 3. tit. 47.* In Recessibus Visitationis quibusdam supra allegatis requiruntur ad definitivas *septem* vel *sex*. Non ergo legibus adversus est stylus ab antiquo tempore observatus, inspectantibus etiam & non invitis Visitatoribus, (vid. *Memorial. Visitat. ad Collegium 11. Februarii 1711. versu: Sodann hätte 2c.*) ut ad evitandas difficultates varias, definitivarum Senatus consisteret regulariter numero Assessorum *Senario*, qui etiam

etiam requiritur ad interlocutorias causæ merita attingentes. De levioribus enim interlocutoriis intelligendi sunt textus, qui numerum constituunt minorem. Neque enim in sequenti consultatione definitiva, alii adhibentur Assessores quam qui interfuerunt interlocutoriæ. Sæpius omnium Actorum plenissima fit Relatio, & tamen concluditur ad interlocutoriam. Ubiunque verò in Legibus Senatus minori numero quam sex Assessorum constituitur, hoc adeo strictè observari necesse non est, ut non possit interdum esse numerus major pro gravitate rei, vel etiam fortuitò. Major verò numerus, per Legem & observantiam sancitus atque receptus, non facile deminuitur, dummodo per alia negotia vel accidentia haberi possit. Ex.gr. in initio restituti per Deputationem Imperii novissimam Cameralis Judicii 28. Jan. 1711. ex priori numero, quinque tantum superstites erant Assessores, quibus, si per numerum magnum Supplicationum Extrajudicialium fieri potuisset, ad Sententias definitivas etiam, non admodum arduas, licuisset progredi, usque dum recepto adhuc uno Assessore, quod mox factum est, Senatus integer definitivarum constitueretur. Accedentibus paulo post duobus, inter quos fuit Auctor Observationum præsentium, numerus octenarius diu mansit, donec Anno 1713. ad duodenarium pervenisset Collegium. Dantur verò definitivæ Sententiæ levioris momenti vel difficultatis, ut conclusio sit facilior in iis, quam interlocutio aliqua faciens ad controversiam primariam.

Quid

Quid ergò, si coepta semel deliberatione in numero Senatorum lege constituto, casu fortuito abfuerit unus, fietne per vota tria consentientia conclusum contra duo quæ dissenserunt. Minime, sed suspenditur deliberatio usque ad reditum absentis. Unusquisque enim religioni ducit sibi, ne absit absque causa justa & necessaria.

Non verò deliberatio in Senatu suscepta semel, deduci debet ad Assessores alios, nisi in casu lege expresso *Recess. Visit. 1713. §. 36.* Huc pertinet lex Ordinationis *part. 1. tit. 13. §. 1. versu: Und was also ic.* Quem Articulum non expressit Denaisius in *Compendio Juris Cameralis, Rubrica: Sententiarum conceptio. §. 3.* Clarius Dr. Justinus Goblerus, qui totam Ordinationem in latinum sermonem transtulit Anno 1564. Sunt autem dicti versiculi verba probe distinguenda, neque de casu solo existentis dissensus Votorum, sed in genere de firmitate Concluserum in unoquoque Senatu intelligenda: *Was vermög dieser Ordnung in einem Rath beschloffen / das soll ohne treffliche und bewegliche Ursache (de quibus causis supra dictum) in einen andern Rath nicht gezogen werden / cujuslibet enim Senatus conclusum pro Concluso Collegii totius est habendum, per expressam Legem Ordinationis part. 3. tit. 47.*

Hæc pro instituti ratione sufficiant hoc loco observasse, alia plura dicta sunt in *Meditationibus Acroaticis ad Ordinat. Cam. part. 1. Titulos potiores.*